



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clavis Aurea Thesauri Partheno-Carmelitici, Sive
Dissertatio Historico-Theologica, Referans atque
Exponens Antiquitatem & originem, confirmationem ac
propagationem, beneficia ac privilegia, gratias & ...**

Paulus <Ab Omnibus Sanctis>

Viennæ Austriae, 1669

Pars Quinta. De alijs Priuilegijs seu beneficijs eidem Confraternitati à Sede
Apostolica indultis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64293)

PARS QUINTA,

De alijs Privilegijs seu Beneficijs Confraternitati B. me Virginis MARIE de monte CARMELO à Sede Apostolica indultis.

CAPUT I.

Nonnulla Privilegia, quibus hoc tempore Confratres Parthenij sacri Scapularis, ex concessione CLEMENSIS VII. frui valent, compendioso recensentur.



PRIVILEGIUM differt ab indulgentia, quod hæc sit remissio pœnæ temporalis pro culpa jam remissa debitæ: illud verò facultas agendi, absolvendi, dispensandi, eximendi &c. Unde omnis indulgentia est privilegium, non è contra: nam plures fieri possunt concessiones præter exemptionem à dicta pœna &c.

289.

In quo differant privilegium & indulgentia?

Privilegia à Sede Apostolica Confrat. Parthenijs concessa, à Paulo V. nullatenus revocata fuere, ideoque illis hoc etiam tempore frui possunt.

Præter indulgentias, quas sacri SCAPULARIS nostri Confratres luçantur, plura à summis Pontificibus accepere Privilegia, quæ in supra relata PAULI V. revocatione minime comprehenduntur, ut manifestò constat ex ipsius Bullæ littera & tenore, observatumque fuit à Rmo. Theodoro Stratio & P. Lezana citatis, imò nulla deinceps alia Constitutione fuere retractata directe, & immediatè. Possunt proinde Confratres Mariani nostri Scapularis liberè ac licitè nunc frui & gaudere omnibus privilegijs, & gratijs olim illis à CLEMENTE VII. concessis in Bulla, *Ex clementi sedis Apostolicæ provisione &c.* sub dat. Romæ pridie idus Augusti, an. 1530. (quam IUS V. & GREGORIUS XIII. postea confirmarunt) modo sacro Concilio Trident. & Romanorum Pontificum decretis non adversentur, nec sint revocatæ, vel sub aliquibus revocationibus contentæ, quas propterea operæ pretium duximus hic esse recensendas.

D d d 3

H A

Possunt sibi eligere Confessarium : & qualis ille esse debeat ?

290.

Est in Ecclesia potestas quædam peccata reservandi.

Nonnulla sunt peccata reservata Papæ nonnulla Episcopis.

Facultas eligendi Confessarium non sufficit ad absolutionem à reservatis.

Quid hæc facultas ante Concilium Tridentinum quid hoc

Habent igitur *primo* Confratres nostri, virtute Concessionis per dictam Bullam factæ, potestatem sibi eligendi quemlibet Sacerdotem idoneum, sive Sæcularem, sive Regularem in suam Confessionem, sine tamen Parochialis Ecclesiæ præiudicio; qui ut hoc sit idoneus tẽpore, si sit Sæcularis debet esse ab Ordinario approbatus; si autem sit Regularis debet esse non modo ab Ordinario approbatus, verum etiam à suo Superiore, vti statim dicemus.

Ut autem hanc potestatem sive facultatem enucleatius declaremus, supponendum est *primò*: certum esse de fide, definitum in Concilio Trident. *sess. 14. Cap. 7. & Can. II.* quod in Ecclesia sit potestas reservandi aliqua peccata iudicibus superioribus: ita ut iudices, sive Confessarij inferiores non possint ab illis absolvere, etiam si sint Confessarij expositi. Quod adeo verum est, licet etiam inferiores habeant Jurisdictionem ordinariam, uti Episcopi & Parochi. Ratio evidens est, quia tota Jurisdictio Ecclesiæ dependet à summo Pontifice, & Jurisdictio Prælati inferioris à suo Superiore. Confutatur Waldens. noster *Tomo 2. de Sacramentis Cap. 149.*

Supponendum *secundò*, de facto quædam esse peccata reservata, non tantum summo Pontifici, qualia sunt regulariter, quæ habent annexam aliquam censuram, verum etiam Episcopis, nec hoc tantum ex jure communi vel consuetudine; sed quæ sibi specialiter relevant, juxta declarationem & instructionem sacræ Congregationis, ann. 1602. sub CLEMENTE VIII. quæ incipit, *Cum autem dubia quedam &c.* vide Bullar. Steph. Quarantæ V. *Casus reservati.*

Supponendū *tertiò*, facultatem concessam ad eligendū Confessorum, si aliud non exprimat, non sufficere ad absolutionem à peccatis reservatis; hæc enim generali concessione non comprehenduntur peccata reservata: sed requiritur insuper, quod hæc facultas exprimat specialiter, Confessarium eligendum posse à peccatis ejusmodi absolvere. Ita habetur expressè in *Cap. Si Episcopis, de penitent. & remissionib. in Sexto.*

Supponendum *quartò*, ante Concilium Tridentinum potuisse illum, qui hanc potestatem habebat eligendi Confessarium, eligere quemlibet Sacerdotem idoneum, etiam non approbatum à loci Ordinario. Ratio est, quia ex parte eligentis erat facultas ad eligendum non impedita; siquidem nullum erat positivum jus impediens, ex parte

parte vero sacerdotis erat capacitas ad recipiendam Jurisdictionem :
liquidem nullo etiam jure impediatur. Post tempora autem e-
jusdem Concilij requiritur, ut Confessor eligendus sit unus ex ap-
probatis ab Episcopo, seu loci Ordinario ; ita habetur in dicto Con-
cil. *sess. 23. cap. 15. de reformat.*

Supponendum *quintò*, quo ad personas Regulares, prætextu fa-
cultatis concessæ ad eligendum Confessarium, etiam qui possit absol-
vere à casibus reservatis, non posse eligere Confessores præter eos,
qui à suis Prælati, pro audiendis eorum Confessionibus deputati
sunt : quod respectivè etiam de Monialibus intelligitur. Ita habetur
in Constitutione PII V. ann. 1571. cujus principium, *Romani Pon-*
tificis circumspecta benignitas. ac CLEM. VIII. ann. 1599. 23. Novemb.
Constitut. incipiente, *Romani Pontificis*, &c. atque in aliâ incipiente,
Quacunque à sede Apostolica. die 7. Decemb. an. 1604. Item per Con-
stitutionem URBANI VIII. incipientem, *In specula militantis Ecclesiæ.*
an. 1630. die 19. Junij.

DICO igitur Confratres nostros, virtute concessionis CLE-
MENTIS septimi, posse sibi eligere Confessarium, qui Confessarius
sic electus potest eos à quibusvis, etiam majoris excommunicationis,
suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis Censuris, & pœnis à
jure quavis occasione, vel causa pro tempore latis, & à quibusvis eti-
am, quibus pro tempore irretiti fuerint, etiamsi illorum absolutio
Sedi Apostolicæ specialiter, vel generaliter (exceptis ijs, de quibus
infra) reservata foret, & ab omnibus eorum peccatis, criminibus,
exceſſibus & delictis, quantumcunque gravibus & enormibus, etiam
talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò consulenda foret, in casib⁹
dictæ sedi qualitercunq; reservatis (exceptis contentis in Literis, quæ
die Cœnæ Domini legi consueverunt ; necnon violationis immu-
nitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ monasteriorum Mo-
nialium, si videlicet sine necessaria & urgenti causa, ac sine Superio-
rum licentiâ ; vel etiam causa, & licentiâ concessâ abutentes, prædi-
cta monasteria ingressi fuerunt ; necnon violentæ manus injectionis
in Clericum, & singularis certaminis sive duelli, & ab alijs etiam ca-
sibus, tam ab ejus in Urbe Vicario, quàm locorum Ordinarijs re-
spectivè reservatis, & pro tempore reservandis ; & etiam quavis ex-
communicatione ab homine lata) idq; semel in vita, & in mortis
articulo,

tempore
indulgeat ?

Quales de-
beant esse
Regulares,
ut eligi in
Confessa-
rium va-
leant ?

291.

Confessa-
rius à
Confratri-
bus electus
potest eos
à quibusvis
criminibus
& delictis,
censurisq;
omnibus,
exceptis
infra refe-
rendis,
absolvere
semel in
vita, & in
morte &c.

articulo: ab alijs vero Sedi Apostolicæ nō reservatis casibus, toties quoties opportunum fuerit, eorum confessionibus diligenter auditis, absolvere, illisque pro commissis pœnitentiam salutarem injungere.

CAPUT II.

Quanam approbatione indigeat Confessarius eligendus à nostris Confratribus?

292.

DIXIMUS præcedenti Capite, quod Sacerdos, ut sit idoneus Confessor, & eligibilis à nostris Confratribus, si fuerit Sæcularis debeat esse approbatus ab Ordinario loci; & si Regularis etiam à suo Superiore. Quoad approbationem Ordinarij loci, censent nonnulli Confessorem sive Regularem, sive Sæcularem, approbatum ab uno loci Ordinario, posse ab habente privilegium eligi in quocunq; loco, & in quacunq; Diœcesi; Alij dicunt sufficere approbationem Ordinarij ipsius pœnitentis.

Cujus Ordinarij approbatio necessaria fit Confessario eligendo à Confratribus.

Est tamen communior, adeoq; probabilior sententia assertentium, necessariam esse approbationem Ordinarij loci, in quo est Confessarius, & ubi facienda confessio; id enim magis consonum est declarationibus sacræ Congregationis Concilij, quæ passim circumferuntur, & uni præfertim, quæ est tenoris sequentis: *Approbatum à alio, quàm Valentino Episcopo in Diœcesi Valentina, non censetur approbatum à Ordinario; idq; mihi videtur deduci posse ex allata, citataq; Constitutione CLEMENTIS VIII. Quæcunq; à Sede Apostolica.* Loquens namq; Pontifex de Confratribus, qui virtute suorum privilegiorum Confessarium sibi eligere possunt, ait; *eligi poterunt Sæculares, scilicet, in alma Vrbe à prædicto nostro Vicario; extra Urbem verò à locorum Ordinarijs; Regulares autem non solum à prædicto Vicario nostro, & à locorum Ordinarijs respectuè, sed etiam à suis Superioribus approbati sint; dum namq; Pontifex vult, quod Confessarius à Confratribus eligendus in Vrbe, sit approbatus à Vicario Urbis, qui est loco Ordinarij; colligimus ejus intentionem esse, quod approbatio Confessoris sit à Ordinario loci, in quo ipse est, & ubi facienda est confessio; quod enim dicit Pontifex de approbatione Vicarij sui quoad Confessarios eligendos in Vrbe, debet intelligi de approbatione Ordinarij con-*

libet loci. Ex quo inferendum, quod approbatus in una Diœcesi censeretur approbatus in omni alia, quoad communem modum audiendi confessiones, non tamen quoad usum facultatis hic concessæ Confessori electo, eo quod à CLEMENTE apposita sit hæc limitatio.

Quoad approbationem Superioris necessariam pro Regularibus presbyteris, advertendum, quod quamvis approbatio Ordinarij loci, quoad Sacerdotes Regulares, pro confessionibus Sæcularium audiendis non fuerit necessaria, nisi post Concilium Tridentinum, ante Concilium enim per Decretalem BONIFACII VIII. innovatam à CLEMENTE V. in Concilio Viennensi in *Clementina* Dudum, *de sepulturis*, sat erat, quod Fratres Prædicatores & Minores (& idem dicendum de alijs Mendicantibus, qui cum ijs communicant in privilegijs) electi à suis Prælatis præsentarentur Ordinario pro obtinenda licentia audiendi confessiones suarum ovium, quam si negasset, præsentandi erant alij, quibus, si illis quoq; ab Ordinario denegata fuisset prædicta licentia, poterant, autoritate Apostolica, sine alia præsentatione, eorumq; approbatione, confessiones Sæcularium audire; idq; fuit observatum usq; ad Concilium Trident. quod statuit, *nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi habeat Parochiale beneficium, vel sit ab Episcopis approbatus*; nihilominus approbatio Superioris semper fuit necessaria. Non enim poterant Fratres ante Concilium audire confessiones Sæcularium, nisi prius à suis Superioribus electi fuissent, & præsentati Prælatis locorum. Electio autem, & præsentatio erat quædam approbatio; idem autem absq; dubio dicendum erit post Concilium. Quare esto CLEMENS VIII. nihil dixisset de approbatione Superioris, censeo nihilominus, quod sine illa Sacerdotes Regulares non essent idonei pro audiendis confessionibus Sæcularium, & per consequens neq; eligibiles in Confessores à nostris Confratribus habentibus privilegium.

Hinc non possum, inquit Reverendissimus P. Theodorus Stratius, approbare sententiam aliquorum existimantium Confessores ab Ordinario approbatos quoad Sæculares, aut pro Sæcularibus esse eligibiles per Bullam Cruciatæ, etiamsi fuerint privati, seu suspensi à suis Superioribus, sive per simplex mandatum, sive per sententiam, ne confessiones Sæcularium audiant; quia dicunt, Regu-

E e e

lares

293.

Pro presbyteris Regularibus requiritur etiam approbatio sui Superioris &c.

294.

In Instr. lib. Cap. 6.

Ordinarij approbando Regulares, illos tantum judicant idoneos; jurisdictionem verò non tribuunt, sed illam immediate recipiunt à Pontifice.

295.

Vide de hoc N. Urbanum ab Ascens. *Tract. 2. Theolog. moral. C. 1. Regul. 1.* Approbatio Superioris est pro Regulari. ita necessaria ut sine illa nec validè, nec licitè possint audire Confessionem Sæcularium, quod probatur. Contrariù sentit P.

lares eo ipso quod sunt approbati ab Ordinarijs locorum, ab illis non à Prælatis jurisdictionem recipiunt; & consensus Prælatorum non est conditio necessaria, ut confessio validè, sed ut licitè fiat: non possum, inquam, sententiam hanc approbare.

Primò, quia quod dicunt isti Doctores de jurisdictione ab Episcopis per approbationem impertita Regularibus, est contra communem sententiam Theologorum, & Canonistarum, qui tradunt Episcopos approbando Regulares, illos tantum judicare idoneos ad audiendas confessiones Sæcularium: jurisdictionem autem eos immediate recipere à summo Pontifice; & ob id Regulares approbati ab Ordinario loci in quo existunt, audire possunt confessiones, tum subditorum Episcopi approbantis, sed etiam forensium ad eos confluentium; quod nequaquam facere possent, si reciperent ab Episcopo approbante jurisdictionem.

Secundò, quia approbatio Superioris, juxta plurimum sententiam, est conditio necessaria, nedum ut licitè, sed etiam ut validè fiat confessio; quia sicut Sacerdos Regularis non potest non validè audire confessiones Sæcularium, sine approbatione Ordinarii loci, quia talis approbatio est necessaria ex Decreto Concilij Tridentini: ita nec potest sine approbatione sui Superioris, cum talis approbatio semper fuerit necessaria; faciunt autem Pontifices in Bullis à Jubilæis regulariter mentionem tantum de approbatione Ordinarii loci, ut ostendant, se velle, non obstante quovis privilegio ab eis concessò, observari novum Decretum Concilij Tridentini, non tamen ob id existimandum est, eos quoad Regulares excludere approbationem sui Superioris, quæ semper fuit necessaria. Et profectò creditum non est, quod Pontifices concedendo Sæcularibus privilegium eligendi sibi in Confessores Sacerdotes, & Regulares & Sæculares, voluerint eos posse eligere Regulares, in præjudicium & detrimentum Regularis observantiæ, quod profectò accideret, si eligere possent privatos à suo Superiore per simplex mandatum aut sententiam.

Et quod non sit talis intentio Pontificum, ex eo probare possumus, quod etiamsi in Bulla Cruciatæ concedatur omnibus Episcopis facultas eligendi sibi Confessorem idoneum, ab Ordinario approbatum, qui valeat eos à casibus Ordinario, & Sedi Apostolicæ referentis absolvere: nihilominus ut in Regularium Ordinibus observatur

Regularis sarta tecta conservetur, CLEMENS VIII. in citata *supra* Cap. 1. Constitutione die 23. Novemb. an. 1599. edita, & URBANUS VIII. in citata *ibidem* Constitutione die 19. Junij, an. 1630. edita, declararunt suam intentionem non esse, quod dicta facultas eligendi Confessorem, qui valeat à casibus reservatis absolvere, suffragetur Fratribus, & Monialibus cujuscunque Ordinis: sed quod iidem Fratres, & Moniales circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedis Apostolicæ subdantur. Quod si dicti duo Pontifices declararunt, & præsertim URBANUS VIII. suæ intentionis non esse, facultatem concessam à Bulla Cruciatæ omnibus Christi Fidelibus eligendi Confessorem, cum autoritate absolvendi à reservatis, habere locum in Fratribus, & Monialibus cujuscunque Ordinis, ne Regularis disciplina aliquando patiatur detrimentum: pari ratione dici potest, non esse intentionem summorum Pontificum, concedere nostris Confratribus facultatem eligendi sibi Confessarium presbiterum Regularem, contra voluntatem sui Superioris: id enim resultaret in non parvum præjudicium observantiæ Regularis. Sed esto, quod sententia opposita posset habere locum in Bulla Cruciatæ, in qua solum fit expressa mentio de approbatione Ordinarij loci: nihilominus cum CLEMENS VIII. quoad Regulares eligendos in Confessores à Confratribus virtute suorum privilegiorum, expressè exigat etiam approbationem Superioris ipsorum Regularium, extra omne dubium sine illa non sunt eligibiles.

Cum autem CLEMENS VII. concesserit Confratribus nostris facultatem eligendi sibi Confessarium, cum hac clausula, *sine Parochialis Ecclesie præjudicio*, sciendum est, quod SIXTUS IV. declarando hanc clausulam in nostro *Mari Magno*, licet ad aliud propositum, dixit eam esse intelligendam, quoad decimas & primitias duntaxat, quæ à Laicis solent Clericis exhiberi, per hæc verba: *Et ne de jure hujusmodi possit aliqua questio suboriri, juris hujusmodi appellatione intelligimus decimas & primitias duntaxat, quæ à Laicis solent Clericis exhiberi.* Quare Confratres nostri possunt sibi eligere in Confessorem quemcunque Sacerdotem approbatum, ut supra: modo ex tali electione Ecclesijs Parochialibus, quoad solutionem decimarum, & primitiarum Clericis fieri solitam, nullum inferant præjudicium.

E e e 2

CAPUT

Lezana cum alijs a se citatis sed cum multis limitationibus, quæ apud illum videri poterunt Tom. 3. verb. *Confessarium Regul. n. 2.*

Verum ex hac opposita sententia videtur præjudiciû inferri Regulari disciplinæ.

296.

Quomodo intelligenda sit hæc clausula *sine Parochialis Ecclesie præjudicio?*

CAPUT III.

*De plenaria indulgentia, & absolutione peccatorum
Confratribus Sodalitij partienij Scapularis, à Confessa-
rio electo impertienda.*

297.

Confessa-
rius ele-
ctus potest
impertiri
indulgent.
plenariam
Confrat.
semel in
vita, & in
morte.
Utrum hæc
facultas
conceden-
di plenar.
omnium
peccato-
rum indul-
gentiam
sit revoca-
ta à Paulo
V.?



CONFESSARIUS electus à nostris Confratribus, vite
te concessionis CLEMENTIS VII. potest non solum ab-
solvere eos à casibus reservatis, uti supra diximus: verum
etiam impertiri illis plenariam omnium peccatorum re-
missionem, & absolutionem *semel in vita, & in mortis articulo.*

Possæt autem aliquis dubitare, an ista facultas revocata fuerit à
PAULO V. dum in Constitutione, *Cum certas.* supra in quarta Parte
relata, revocavit omnes indulgentias, quæ à suis prædecessoribus
Confraternitati SCAPULARIS nostri Mariani concessæ fuerant.
Et profectò quoad primam partem, impertiendi scilicet illis plenari-
am indulgentiam semel in vita, licet nonnulli arbitrentur eam fuisse
revocatam, alij tamen, & melius censent, non fuisse revocatam, cum
in dicto diplomate PAULUS V. non annullaverit indulgentias con-
cedendas, sed concessas &c. Et quoad secundam etiam partem pro
articulo mortis, tenendum est, non fuisse revocatam, cum plures
doceant, quod per generalem, ab eodem PAULO V. factam, omni-
um indulgentiarum, quas Pontifices sui prædecessores Regularibus con-
cesserant, revocationem, per Bullam, *Romanus Pontifex.* sub dat. Romæ die
23. Maij, an. 1606. non fuisse revocatas indulgentias pro articulo
mortis, ea ducti ratione: quia quæ sunt nota speciali digna, maxime
ob favorem animæ, ut sunt indulgentiæ pro articulo mortis, in gene-
rali revocatione non censentur sublata, nisi de eis fiat specialis men-
tio. Et confirmant ex quadam declaratione URBANI VIII. anno
Jubilæi 1625. publicata Romæ ab Illustrissimo ac Reverendissimo
Domino Coccino Decano Rotæ, & Regente Pœnitentiariæ, quod in
generalis revocationis, seu suspensionis indulgentiarum, quæ fit in
anno Jubilæi, non suspendantur indulgentiæ pro articulo mortis.
pari igitur ratione in generali revocatione indulgentiarum
Confratrum facta à PAULO V. non comprehendetur indul-
gentia pro articulo mortis.

SED dicet aliquis, ad nihil prodesse videtur Confratribus facultas à CLEMENTE VII. Confessori ab eis electo concessa, conferendi indulgentiam plenariam in articulo mortis; siquidem jam eis pro eodem articulo aliam concessit similem PAULUS V.

RESPONDETUR multum prodesse: siquidem indulgentiam plenariam à PAULO V. concessam pro articulo mortis Confratres obtinere nequeant, nisi contriti & confessi sacram Communionem receperint, & nomen JESU saltem corde invocaverint; accidere autem potest, ut aliquis Confrater in articulo mortis constitutus, licet sit contritus & confessus, nihilominus impotens sit ad SS. Eucharistiæ Sacramentum suscipiendum, quo in casu certum est, quod impotens etiam erit ad lucrandum indulgentiam plenariam à PAULO V. concessam; poterit tamen Confessarius ab eo electus, vi indulti CLEMENTIS VII. illi indulgentiam plenariam conferre, quia in tali indulto, non imponitur obligatio suscipiendi Sacramentum Eucharistiæ. Contingere etiam potest, ut Confessarius defectu notitiæ aut advertentiæ, non impertiatur morienti CLEMENTIS indulgentiam, cui tunc proderit indulgentia PAULI V. si præscripta peragat.

Prodest non parum hoc privilegium Confratribus, etsi à Paulo V. ijs concessa etiam sit indulgentia plenaria pro mortis articulo.

AT quia accidere potest, ut Confrater aliquis in articulo mortis constitutus, sit in tali statu, ut confiteri non possit, nec det, nec dederit ulla signa, per quæ sit capax absolutionis Sacramentalis à peccatis, quæri potest, an ejus Confessor, valeat illi indulgentiam plenariam impertiri? Certum videtur, quod non possit conferre absolutionem à censuris, & peccatis, vi indulti CLEMENTIS VII. nisi in Sacramentali Confessione, quia utraque absolutio conceditur, cum hac conditione, & clausula, *Eorum Confessionibus diligenter auditis*, quæ tamè non exprimitur in facultate impertiendi indulgentiam plenariam concessa per hæc verba: *ac omnium eorum peccatorum semel in vita, & in mortis articulo, ut præfertur, etsi tunc non subsequatur, plenariam remissionem & absolutionem, autoritate Apostolica, impendere possit.*

Utrum extra sacramentalem Confessionem concedi queat hæc plenaria indulgentia?

Dubium est, an saltem in hac concessione dicta clausula implicite contineatur? Affirmant nonnulli satis probabiliter, ob hanc clausulam, *ut præfertur*, quasi per illam se referat Pontifex ad absolutionem à censuris, & à culpis faciendam auditis Confessionibus; ita quod velit etiam plenariam remissionem, & absolutionem omnium peccatorum

Negant nonnulli

torum quoad pœnas in mortis articulo, impertiendam quoque esse, auditis Confessionibus.

300.

At melius
alij affir-
mant.

Nihilominus non videtur improbabilis, sed valde rationi consona sententia eorum, qui considerantes collationem indulgentiæ suæ naturæ non exigere, ut fiat in Sacramentali Confessione, & quod Confessarius electus in Bulla Cruciatæ potest semel in articulo mortis indulgentiam impertiri extra Confessionem, & quod in usu jam est apud omnes Regulares, ut Fratres approbati ab Ordinario pro audiendis Confessionibus Sæcularium, vi talis Privilegij indulgentiam moribundis conferant extra Sacramentalem Confessionem: & quod in præfata concessione CLEMENTIS VII. dicta clausula, *auditis eorum Confessionibus*, non exprimitur, censent præfata indulgentiam plenariam concedi posse extra Sacramentalem Confessionem; nec ista clausula, *ut præfertur*, videtur referenda ad clausulam, *auditis eorum Confessionibus*, sed ad aliam similem supra positam de articulo mortis, quando dixit Pontifex, quod Confessarius electus à Confratribus possit eos à quibusvis peccatis, criminibus, excessibus ac delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes Apostolica merito consulenda foret, in casibus dictæ Sedi reservatis, exceptis committis in dictis litteris Cæne Domini, semel in vita, & in mortis articulo; de alijs vero dictæ Sedi non reservatis casibus, toties quoties opportunum fuerit, eorum Confessionibus diligenter auditis absolvere.

Doctrina
impeuse
observan-
da.

Et sine dubio hæc opinio ut probabilissima, in praxi amplectenda est, nam si Confessor probabilem sequens opinionem, constitutum in mortis articulo, qui nec confessus fuit, nec ulla signa deit proxima in ordine ad Confessionem, vel contritionem, sed aliqua solum remota, potest & debet absolvere à peccatis: quia si vera est talis opinio, plurimum prodest absolutio; quia liberat morientem à culpis; si autem non est vera Confessor nemini nocet, nec injuriam facit Sacramento Pœnitentiæ: quia habet intentionem absolvendi quantum potest; pari ratione in nostro casu, si vera est opinio, de qua loquimur, Confessor impertiendo indulgentiam plenariam extra Confessionem Sacramentalem, morientem actu & re absolvit ab omnibus pœnis, nisi aliunde aliquis obstat alius obstat autem non est vera, nemini nocet, nec injuriam facit alicui Sacramento, quia nullum Sacramentum administrat; nec etiam ipsi indulgentiam

tia, vel privilegio, quia illam semper impertitur, in quantum potest. Et ex his etiam magis patet, quantum prodest ista facultas, quam habet Confessarius Confratrum, illis impertiendi in mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam.

LICET autem explicando plenariam indulgentiam à PAULO V. concessam Confratribus in articulo mortis, dixerim juxta nonnullorum sententiam, hujusmodi indulgentiam esse intelligendam de vero mortis articulo: nihilominus Confessarius Confratrum nostrorum, vi indulti CLEMENTIS VII. potest illam concedere in mortis articulo, sive vero, sive presunto, cum dicat Pontifex, *etiamsi tunc non subsequatur mors*. Hinc fit, inquit, Theodorus Stratius, ut si Confessarius semel juxta indultum CLEMENTIS VII. indulgentiam illam plenariam alicui Confratri infirmo simpliciter, & absolute, non reservando illam pro vero articulo, nec verbis, nec secundum intentionem, impendat, & postea Confrater convalescat, & deinde denuo incidat in alium mortis articulum, sive verum, sive presumpsum, non possit ei iterum indulgentiam plenariam concedere. Cum igitur accidere possit, ut Confrater aliquis, post semel obtentam à Confessario in uno mortis articulo indulgentiam, convalescat, novaque peccata committat, licet de ijs postea conteratur ante mortem, & eorum remissionem quoad culpam obtineat, ac in gratia decedat: nihilominus indulgentia, jam ei in precedenti mortis articulo presumpso impensa, nihil prodesse potest ad remittendam poenam peccatis postea commissis debitam. Quare optima cautela est, quod illam Confessarius non simpliciter, & absolute, sed sub conditione conferat, dicendo; *si hac vice non moriaris, eam tibi reservo pro articulo mortis*; & indulgentia cum hac conditione, & reservatione potest impendi Confratribus toties, quoties ipsi in articulo mortis constituti erunt: licet non nisi semel, in vero scilicet, effectum habere possit. Ita Reverendissimus Stratius *loc. cit. cap. 8.*

VERUM opposita sententia longè probabilior videtur, quam cum aliis tenet Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 19. num. 12.* qui sic differit. [Suspensio usque ad verum articulum mortis, dupliciter intelligi potest: *Primo*, ut indulgentia nunquam habeat effectum, donec

301.
Utrum hæc indulgentia plenaria à Clemente VII. concessa pluries in mortis articulo impertiri valeat?

Exponitur duplex modus, quo Ut hæc indul-

gentia in
morte con-
cedi po-
t. est.

ut indulgentia statim operetur ; & nihilominus, si mors non sequatur, iterum atque iterum in simili articulo concedi possit cum effectu, donec vera mors sequatur. Et licet prior modus sit probabilior, tamen posterior est magis pius, & veritati magis consentaneus. *Primo*, quia beneficium Principis amplè interpretandum est, quando ipse non limitat illud, hic autem non limitat, quia non dicit *semel in articulo mortis*, tunc enim fortassè statim fieret effectus, & expiraret gratia propter illam restrictionem *semel*, quæ in præsentibus non additur, sed est concessio indefinita pro articulo mortis : ergo amplè intelligendum est hoc beneficium pro quovis articulo. Et confirmatur, quia in huiusmodi rebus indefinita æquivaleret universali. *Secundo*, quia Pontifex absolutè dat Confessori facultatem concedendi illam indulgentiam in articulo mortis ; ergo etiam Confessor utens illa absolutè absolvit plenariè, & non sub aliqua conditione : ergo absolutio non manet suspensa, quasi expectans adventum mortis.

Tertio potest ita explicari : quia per talem indulgentiam vult concedere Pontifex plenariam remissionem totius vitæ usque ad articulum mortis : quia tamen de vero mortis articulo homini constare non potest, ideo consequenter ac necessariò vult, ut talis absolutio instante periculo, & quando moraliter timetur mors, concedatur : & quia non vult absolutionem, quæ debet esse actus legitimus, esse conditionatam, ideo statim habet effectum : si autem postea mors non sequatur, effectus ille non est adæquatus gratiæ, seu facultati, quia non est de reatibus totius vitæ usque ad veram mortem ; ergo semper superest facultas absolvendi in vero mortis articulo à reatibus, qui superfuerint : ergo semper reservatur indulgentia aliqua ad verum mortis articulum.] Atque ita sentit etiam Gerlon 2. *Part. Tract. de absolutione Sacramentali. §. Quæris ulterius. Alph. 33. d. K.* & quoad hunc partem idem sequitur Corduba *lib. 5. de indulgentiis quest. 39 in fine.* cuius hæc sunt verba : *Sicut alie concessiones facte pro articulo mortis, ut ad absolvendum à peccatis, & censuris in articulo mortis intelliguntur toties, quoties talis articulus occurrit, ut patet ex practica consuetudine &c.* Confirmari quoque hæc poterunt illis, quæ in *Cap. V.* dicimus, agendo de absolutione à reservatis, & censuris.

303.

EXISTIMANT nonnulli articulum mortis, in quo à Confessori concedenda est indulgentia infirmo, non existere donec op-
parat

pareat eum velle expirare, & quod ei non supersit facultas amplius peccandi, ducti hac ratione: quia si post obtentam indulgentiam peccaret, etsi per pœnitentiam talis peccati remissionem quoad culpam obtineret, non tamen virtute indulgentiæ jam obtentæ valeretur remissionem pœnæ illi debitæ assequi. Mihi tamen magis arridet eorum sententia, qui asserunt, illum articulum mortis sufficere pro indulgentia, qui sufficit ad obtinendam absolutionem à censuris, & à peccatis: & consultius est non expectare mortem jam instantem ad impertiendam indulgentiam, etsi etiam semel tantum juxta nonnullorum sententiam concedenda esset, quia potius vitandum est periculum moriendi sine indulgentia, quàm antedictum incommodum moriendi post aliquod perpetratum peccatum.

Quia diximus supra facultatem impertiendi indulgentiam plenariam in articulo mortis nostris Confratribus, concessam Confessario ab eis electo, de ista electione nobis ita differendum est, ut loquuntur Doctores de electione Confessarij, facta virtute Bullæ Cruciatæ. Tradunt autem non esse necessarium ad hoc, ut habens Bullam assequatur indulgentiam, quod expressè & specialiter petat eam sibi à Confessario impendi: sed sufficere, ut conferri possit à Confessario, quod ex parte pœnitentis sit virtualis petitio, seu interpretativa voluntas petendi hanc indulgentiæ applicationem, id est, quod si advertisset, aut potuisset, eam postulasset. Nec esse necessarium, ut ille, cui talis indulgentia conceditur percipiat, & intelligat eam sibi concedi: sed sufficere, quod sit in gratia. Quare, si quis repente omnem sensum, & rationem amittat, constituaturque in mortis articulo, & ante nullum signum confessionis, nec contritionis in ordine ad confessionem dederit, si tamen habeat indultum indulgentiæ, & ex aliquibus conjecturis constet illū esse in statu gratiæ, poterit ei, uti etiam paulò ante diximus, à Confessore indulgentia applicari. Quia nullus pœnitentis actus hic requiritur, ergò nihil impedit, aut obest, quod sui compos non existat.

Addunt etiam, & hoc est quod facit vel maximè ad nostrum propositum, non opus esse, ut infirmus indulgentiæ consecutionem prius petierit, & designaverit Sacerdotem Confessarium in particulari: sed sufficere illam interpretativam voluntatem, quod enim isti

Fff

Auctores

Quando mortis articulus adesse censetur?

Et quando infirmo sit absolutio hæc generalis impendenda? Vitandum periculum ne sine indulgentia decedat.

304. Utrum à moribundo Confratre expressè petenda sit hæc indulgentiæ enlargitio?

Quid faciendum cū illis sit, qui de repente rationis usum amittunt?

Nota differ-
entiam in
conceden-
da hac in-
dulgentia
plenar. in
vita & mor-
tis articulo

Auctores asserunt de electione Confessoris facta virtute dicte Bullæ nos affirmare possumus de electione Confessarij Confratrum nostrorum, facta virtute indulti CLEMENTIS VII. Præsumendum quippe est, ægrum velle omnia quæ valent sibi adhiberi remedia, ad vitam bene beatæque finiendam; secus dicendum de eadem indulgentia si in vita concedenda, cum enim liberum sit Confratri eam differre, quantum voluerit, non debet Confessarius illâ elargiri, nisi rogatus à pœnitente, tacite aut expresse.

CAPUT IV.

Proponitur & exponitur formula concedendi plenariam indulgentiam Confratribus Carmelo-partbenijs, in mortis articulo, ab electo ab eis Confessario.

305.

Qua verborum forma hæc indulgentia impertien-
da sit.

*Loc. citato
Cap. 9.*



BSQVE dubio Confessor à Confratribus electus, impertiendo illis indulgentiâ in mortis articulo, vi indulti CLEMENTIS VII. aliquam verborum formulam oblectare debet: & quia nullam præscribit Pontifex, nec reperitur præscripta in sacris Canonibus; nec Apostolicis Constitutionibus, sat erit, si conferatur per talia verba, quæ remissionem & indulgentiam plenariam significant; nihilominus Confessor nostrorum Confratrum hanc, quam nunc hic ex Reverendissimo Theodoro Stratio, aut quam infra *parte VIII. Capite X.* trademus, formulâ servare poterit.

Postquam pœnitens, si prius is præmiserit Sacramentalem Confessionem, fuerit absolutus à censuris, & à peccatis, vel si nulla præcesserit Confessio, nec datum fuerit ab eo ullum signum in ordine ad Confessionem, Sacerdos electus, modo judicet illum esse in gratia, per hæc verba impertietur illi indulgentiâ: *Authoritate Domini nostri IESU Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, tibi condulta, & mihi commissa, concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorum, quam possum concedere virtute prærogativarum Apostolicarum, si tamen hac vice moriaris; alias pro alia eam tibi reservo: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.*

Quoniam autem per indulgentiam absolvitur quis à pœnis, suis peccatis debitis, illa potest concedi per verba absolutionem significantia: quare Confessarius potest Confratribus nostris in mortis articulo illam etiam impertiri sub hac forma: *Absolvo te ab omnibus pœnis tuis*, vel *Remitto tibi omnes tuas pœnas*, & licet solum diceret, *Absolvo te à pœnis tuis*, indefinitè, hujusmodi absolutio indefinita pœnarum universali æquipolleret.

Et dicere, *Absolvo te à pœnis tuis*, idem esset ac dicere: *Absolvo te ab omnibus pœnis tuis*: imò etiam si Confessarius diceret solum, *Absolvo te*, & non adderet à pœnis, si tamen haberet intentionem absolvendi infirmum à pœnis, illi indulgentiam impertiretur; quo pacto Doctores loquentes de absolutione Sacramentali à peccatis, dicunt eam esse validam, si Confessarius, *Absolvo te*, tantum dicat, modo intentionem habeat absolvendi pœnitentem à peccatis.

LI CET autem supra dixerim, Confessarium priusquam concedat infirmo indulgentiam, debere eum absolvere à peccatis, modo præcesserit confessio, vel signum aliquod in ordine ad confessionem, nihilominus potest simul, & eisdem verbis, eum absolvere à peccatis & pœnis dicendo: *Auctoritate Domini nostri IESU Christi &c. absolvo te ab omnibus peccatis tuis*, habendo intentionem eum absolvendi, & à culpis, & à pœnis: istud enim verbum *Absolvo*, indifferens est ad significandam remissionem, tum culpæ, tum pœnæ; quare potest Confessarius illud proferre cum intentione absolvendi ab utraque, & nomen illud peccatum sumi potest, tum pro culpa, tum pro pœna: imò etiam si diceret tantum, *Absolvo te*, non exprimendo à peccatis, cum intentione tamen absolvendi à culpa, & à pœna, ab utraque absolveret. Adde quod verbum *Absolvo te*, cum intentione absolvendi infirmum à censuris, à culpis, & à pœnis, ab omnibus simul absolveret.

Quoad hanc clausulã, *si hac vice moriaris &c.* quam addit Stratus inherendo priori sententiæ, *Capite proximo allatæ*, advertendum est, quod etiam si Confessarius illam verbis non exprimeret, si nihilominus haberet intentionem reservandi indulgentiam pro vero mortis articulo valeret reservatio; quare infirmus, si convalesceret, indulgentiam sic ut reservatam pro vero articulo non lucraretur, quare dato casu, quod Confessarius infirmum in articulo mortis constitutum absolveret per hæc verba, *Absolvo te*, cum intentione eum absol-

306.

307.

Quænam circa illam clausulam si hac vice &c. animadvertenda sint & observanda?

Bulla: nostro quippe vitam entia litem dicitur illi rogi
plena
us, im- i indulgi m obli- necre- nstitui- em & in- nolo- eodoro si fervare
em Cac- lia pro- chine et ratiaper nojiri riliu- geniam rati- illa est Scab- Quo

vendi à censuris, & à culpis, & à pœnis : à censuris quidem & à culpis absolutè, à pœnis autem sub conditione, si moriatur &c. infirmus statim absolutionem & à censuris, & à culpis obtineret, non autem à pœnis, si convalesceret ; quia absolutio à pœnis illi esset reservata, pro vero mortis articulo.

308.

VERUM hæc dicta sint juxta P. Stratij sententiam ; sequendo vero posteriorem, probabilioremque sententiam hac clausula ac reservatione opus minimè erit, cum, ut supra vidimus, toties quoties articulus mortis occurrerit, denuo cum effectu absolutio & indulgentia plenaria concedi queat.

Utrum ab-
senti hæc
possit con-
ferri indul-
gentia ?

Quæret hic aliquis, An hæc indulgentia absenti conferri valeat ? Ad hoc respondet Antonius Cottonius *lib. 2. de Sacram. Controv. II. C. 2. num. 79.* posse applicari in absentia per literas, aut internuntium, quia applicatio hæc per se sumpta, non est absolutio Sacramentalis, sed potius assimilatur absolutioni censurarum, ut ait Diana *Part. 5. Tract. 3. resol. 134. & Tract. 12. resol. 46.* ex Trullench in *Cruciat. Lib. 1. §. 7. Cap. 2. dub. 19. nu. 7.* subjungit autem *in fine* jam dictæ *resol. 46.* Diana hæc : [Notandū est tamen hic obiter unum notabile, quod nescio, an alibi à me adnotatum sit ; nempe quod aliquando hæc indulgentia in articulo mortis, in casu licet raro, videtur posse applicari absenti : videlicet, si Parochus, postquam Unctionem extremam contulit pœnitenti ægrotanti, oblitus est hujus applicationem, & infirmus jam jam moritur, nec potest Parochus eum adire, poterit è domo sua infirmo tali absenti applicare indulgentiam, quia si hæc potest extra confessionem applicari infirmo, qui nullum signum dederit contritionis, nec hujus applicatio dependet ab absolutione Sacramentali ; & ex alio capite hic est capax indulgentiæ, eo quod supponimus esse in statu gratiæ constitutum, quid mirum si in hoc tali casu possit applicari in absentia, sicut etiam absens à censuris absolvi : præsertim cum nulla scientia, nec formalis petitio requiratur ex parte ejus, cui hæc est indulgentia applicanda : ergo &c. Et ita hanc sententiam docet Trullench, *ubi supra.*] Et licet Diana loquatur de indulgentia Bullæ Cruciatæ in hac resolutione, tamen quoad præsentem difficultatem idem omnino asserendum est de nostrorum Confratrum moribundorum indulgentia, quod de Bullæ Cruciatæ quoad morientes.

CAPUT

CAPUT V.

Amplior electi Confessarij potestas exponitur, & nonnullis è supra dictis emergentibus dubijs respondetur.

POTEST tertio electus à Confratribus Confessarius, vota ipsorum commutare, exceptis quatuor, scilicet, liminum Apostolorum PETRI & PAULI, & S. JACOBI visitationis, Religionis, & Castitatis. ita CLEMENS VII. in dicto Diplomate §. 8. Lezana noster Tom. 2. qq. Reg. Cap. 15. num. 37. cum alijs erratum putat in Bullæ littera, legendumque, *vota vero quæcunque (visitationis ultramarinae, liminum BB. Apostolorum &c. pro vota vero visitationis quæcunque ultramarina, liminum BB. Apostolorum &c.* Quo dato omnia Confratrum vota poterit electus Confessarius commutare, exceptis vulgatis quinque Papalibus. Ratio dicti Authoris hæc est. Si vulgata retineatur lectio, poterit electus Confessarius commutare votum Jerosolymitanæ peregrinationis, non autem votum recitandi coronam B. Virginis, quod videtur absurdum. Sequelam probat Bullæ contextus, in quo datur facultas commutandi vota ultramarina, demptis quibusdam ibidem expressis. Ergo non conceditur facultas simpliciter commutandi vota quælibet, sed ultramarina, *id est*, peregrinationis ad loca sancta Orientis: quæ disparitas cum à nemine debeat admitti, censendus est error Amanuensis. Si quis tamen litteram, ut jacet, defendere velit, ad sequelam respondere poterit, concedi *primò* universalem commutandi vota facultatem, *deinde* eandem magis exprimi de votis ultramarinis, utpotè singulari mentione dignis; ac tandem excipi quatuor reliqua: quo casu commutari poterit votum recitandi Rosarium, & votum visitandi sanctum sepulchrum: quod postremum non erit commutandum, si P. Lezanæ, aliorumque probetur observatio: quæ omninò conformis est priori CLEMENTIS Constitutioni, ideoque cum Lezana sentiendum puto.

309.
Potest electus Confessarius Confratrum vota omnia commutare demptis 4. aut juxta alios quinque.

Vota Confratrum commutari queunt,

Animadvertendum verò dari facultatem vota commutandi, non

Fff 3

non relaxari, aut dispensari &c. jura-
menta ve-
rò relaxari
possunt.

non relaxandi, aut dispensandi, quæ quantum, & quomodo differant, videri poterit apud Theologos morales.

Poterit *quarò* præfatus Confessarius, juxta ejusdem CLEMENS VII. Constitut. *loco cit. quæcunque*. Confratrum *juramenta sine tertij præjudicio relaxare*: de quo aliud dicendum nihil occurrit.

EXPOSITA jam universa electi à Confratribus Confessarij potestate, superest, ut nonnullis, quæ moveri possent, contra dicta in præcedentibus Capitibus, dubijs satisfaciamus.

Contra id quod dictum est *supra Cap. 1.* de absolute à quibuscunq; casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis &c. *semel in vita, & in mortis articulo*, obijcitur videri superfluum hoc privilegium pro *mortis articulo*.

Nō est frustraneum privilegium absolvendi à reservatis in mortis articulo, et si in eo omnis reservatio evanescat. Quid per mortis articulum in hac materia intelligendum sit?

Respond. Non esse frustraneum etiam illo tempore, sed prodesse plurimum: absoluti enim virtute hujus privilegij, si convalescant, nequaquam tenentur adire Superiorem, ut ad obediendum paratos se exhibeant: quod tamen absolutis jure communi necessarium esse Doctores asserunt. Aliam P. Suarez *Tom. 4. de Relig. Tract. 1. lib. 2. cap. 19. n. 14.* addit rationem, quod scilicet vi talis privilegij quilibet Confessarius absolvere queat, etiam præsentem, ac prætermisso Prælato ordinario; quod alioqui non liceret.

Mortis autem articulus debet intelligi etiam *presumptus*, ut supra quoque insinuatum est. *Primo*, quia cum Pontifex non distinguat, nec nos debemus distinguere. *Secundò* CLEMENS VII. in *spec. ejusdem §. 8.* dum de remissione peccatorum Confratribus impertienda in mortis articulo loquitur, sic inquit: *In mortis articulo, ut præfertur, etiamsi tunc non subsequatur, plenariam remissionem & absolutionem, Auctoritate Apostolica, impendere possit.* Ergò signum est idem intelligere de absolute à censuris, reservatis &c. Ea est sententia Rodriquet in casu simili *Tom. 1. qq. Reg. quest. 62. art. 7.* qui id exponit de mortali periculo; & Cordubæ apud Suarez *mox citatum*, qui appellat *prædictam consuetudinem*, ut intelligatur toties quoties articulus mortis occurrerit.

Superest nihilominus difficultas, utrum semel tantum in eodem mortis periculo ita absolvi possit, an quoties in eundem *presumptum* obitus articulum Confrater reciderit? Antequam ad præpositam quæstionem respondeam animadvertendum est, quod articulus mortis in *rigor* loqua-

loquendo differt à periculo: nam articulus mortis, seu ultimus articulus vitæ, est ultima quædam particula, non magna, temporis vitæ, quàm mors immediatè sequitur. Periculum verò mortis est occasio vel causa, in qua spectata rerum natura, & spectato eo, quod solet in simili occasione evenire, mors sequitur; vel certò, vel probabiliter, vel prudenter potest aut debet timeri. Hinc est, ut aliud dicatur certum, aliud probabile, aliud dubium periculum: idq; vel proximum, quando adest causa, vel occasio, unde mors brevi solet, aut potest sequi, aut prudenter timeri potest statim secutura. Remotum vero, quando est quidem causa talis mortis, non tamen ita proximè, quin futura sit aliqua considerabilis distantia, vel necesse sit, ut alia concurrant, quæ adhuc non adsunt, nec putantur ad futura tam cito, quin restet aliquod tempus considerabile, antequam morti adferenda necessaria concurrant. Quamvis autem, ut dixi, articulus mortis à periculo differat in rigore, Doctores tamen hæc duo promiscuè confundunt, tum in hac materia absolutionis &c. tum in materia de indulgentijs pro articulo mortis &c.

Ad propositam difficultatem respondet Theodorus Stratius, semel tantum impertiendū esse privilegiatæ Absolutionis beneficium. Probabilior est tamen opposita sententia, quam fusè præbat sapientissimus Suarez loco citato num. 13. magisque videtur accedere ad intentionem summi Pontificis, adjuvandi Confratres in illo extremo periculo ac necessitate, ut sic purgati descendant ab hoc sæculo: ergo cum non repugnet littera diplomatis Apostolici, imò eam ferant verba interpretationem, concedi debet potius quam negari iterata peccatorum absolutio, de qua est quæstio. Nec solum absolutio à peccatis ac censuris &c. verum etiam indulgentia iterari potest in mortis articulo, ut observat idem P. Suarez eodem num. 13. & nos cum eo fusius tradidimus supra Cap. 3. num. 302. Quod autem Bullæ littera non repugnet probatur: nam illa particula *semel*, quæ fundat oppositam sententiam, non unitur à Pontifice cum mortis articulo, sed cum vita: ait enim *semel in vita, & mortis articulo*, non autem *semel in vita, & semel in mortis articulo*. Quod secundum clarius dixisset, si id intendisset: sed contra eum, qui clarius loqui potuit, legum interpretes utuntur epicheija, nec beneficia principum restringunt, quæ nullum tertio afferunt detrimentum: quale est beneficium

Absolu-

Quomodo differant inter se articulus & periculum mortis?

Potest absolutio toties quoties hic articulus occurrerit, conferri.

Abolutionis, quod nocet nemini, prodest vero plurimum penitenti.

311.

QUÆRES, An prædictæ electi Confessarij facultati, absolvendi peccatis, & censuris derogatum fuerit, per alias Successorum Pontificum Constitutiones?

Respondetur CLEMENS VIII. in Bulla, cujus initium ab his verbis ducitur, *Quæcunque à Sede Apostolica s. 9.* statuit debere electi Confessarium esse approbatum; statim quoque declarat debere Privilegia, quorum virtute absolvit, esse in usu, non autem revocata, aut Tridentino, & summorum Pontificum Decretis ac Constitutionibus repugnantia. Quod Statutum de usu Privilegij sic exponit P. Lozana Tom. 2. qq. Regul. Cap. 15. num. 17. ut *habitualis* usus sufficiat, *actualis* non requiratur. *Habitualement* vocat, dum aliquis Privilegio abstinet defectu scientiæ, cognitionis, occasionis &c. vel ratione alterius impediendi: tunc enim censeri non potest per non usum renuntiare Privilegio, atque suum jus amittere. Præterea, non vult minime officit, nisi legitimo tempore sit præscriptus, nempe annis 40. ex Cap. *Accedenti de Privileg.* Denique vix sciri potest, utrum sit in usu, nec ne: nam privata res est conscientiæ, quæ apud aliquos esse potest frequentissima, licet nonnullis aliis fuerit inaudita.

Quoad Tridentinum, ea Privilegia censet idem Author esse per illud revocata, quæ adversantur ejus decretis habentibus clausulam Privilegiorum derogatoriam: si autem careant ea clausula, non debent rejici ea Privilegia, etsi iis decretis contraria: merito quidem, nam Privilegium est præter legem, aut contra, nec proinde mirum videri debet, quod legibus repugnet. Nec vim facias in eo, quod Tridentini singularis sit ratio, quatenus summi Pontifices in nullo velint derogare hujus Concilij decretis: nam oppositum vincunt multa Privilegia, quorum usus retinetur, etsi nonnullis Tridentini decretis adversentur. Quæ omnia attuli, ut sciret Lector, qua ratione cum Tridentino deberet conciliare Privilegia: nec enim fuere dicenda pro vindicanda electi Confessoris facultate præscripta, cum in Tridentino nihil occurrat, quo ea facultas revocatur, aut in aliquo ei derogetur.

Idem CLEMENS VIII. loco citat. casus excipit nonnulli supra Cap. primo à nobis relatos, à quibus Confessarij sic electi

Privilegia debent esse in usu, ut, vi illorum quis absolvatur.

Quis, & qualis usus requiratur, & sufficiat?

Quænam Privilegia per Tridentin. Concil. censentur revocata?

solvere nequeunt; à quorum proinde absolutione ejusmodi Confessario abstinendum est, nisi Constitutio CLEMENTIS quibusdam in locis vim non obtinuerit; aut saltem de nonnullis enumeratorum articulis jus aliud ijs in locis sit statutum; tunc etenim Confratres nostri juri restituuntur communi, & à prædictis poterunt absolvi eodem modo, quo cæteri Fideles; verbi gratia, Bulla Cœnæ non legitur in Gallia, unde prima CLEMENTIS exceptio, inquit Irenæus, *loc. cit. sect. 3. Cap. 2. S. 2.* vires non habet adversus Gallos, &c.

Circa sextam exceptionem, seu casus reservatos, aut reservandos à locorum Ordinarijs, monet Reverendiss. Stratius, eam intelligi de reservatis, aut reservandis ab homine, non autem reservatis à jure: ita ut de his, non verò de illis, electus Confessarius possit absolvere.

Alios recenset casus idem Theod. Stratius, electo Confessario minime permittos: scilicet realem Simoniam scienter contractam, beneficalem confidentiam, procurationem abortus &c. Verum Lezana lib. *de Patronat. Marian. Cap. 12. num. 10.* discedit ab ejus sententia quoad duos priores, atque quoad cæteros recedendum putat præfatus Irenæus, cum PAULUS V. (eodem attestante Stratio) in Bulla, *Cælestis Ecclesie thesaurus.* iisdem Confratribus dederit facultatem eligendi Confessarium, qui eos absolveret semel in anno à quibuscunque excessibus, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, Constitutione CLEMENTIS VIII. *Quæcumque* &c. & à reservatis Ordinario loci: Ergo nisi Ordinarius sibi reservet procurationem abortus, & similia, non censetur Confessario electo interdicta facultas absolvendi, &c. Addit etiam P. Irenæus *loco cit.* quod etiamsi procuratio abortus, & alij *ibidem* contenti casus summo Pontifici reservati essent, nihilominus Confratres ab ijs absolvi possint: cum eos casus non excipiat PAULUS V. nisi Ordinario fuerint reservati: at Ordinarius non debet sibi reservare casus Pontificios &c.

Cæterum unusquisque videat, quod pondus obtinuerit superior Clementina, *Quæcumque à Sede Apostolica.* suis in partibus; nam inde erit concludendum quanti sint momenti præfatae exceptiones.

Quære etiam quis poterit, ad quid profit Privilegium supra Capite primo in fine adductum; scilicet, eligendi Confessarium,

Ggg

qui

Quinam casus excipiantur, & quando ab his, etiam electus Confessarius absolvere queat?

312.

Nota discrimen inter reservatos à jure & ab homine.

Quid de simonia, alijsque casibus à Stratio relatis dicendum sit?

313.

Quid operetur privilegium sup. adductum circa casus non reservatos ?

Quid de irregularitate &c. ?

Quid observandum sit Confessario in absolvendo Excommunicatum, qui tertio satisfacere obligatus est ?

qui Confratres à censuris, & casibus minimè reservatis toties quodlibet absolvat ? **RESPONDETUR**, prodesse non modicum; cum enim Parochiani secundum jus commune nequeant, sine expressa, aut tacita proprii Parochi, aut Episcopi licentia alteri Sacerdoti, seculari, etiam approbato ab Ordinario confiteri, possunt nihilominus Confratres nostri, virtute præfati privilegij Apostolici, sine ulla proprii Parochi, aut Episcopi facultate, confiteri cuilibet Confessario ab Ordinario approbato, nedum Regulari, verum etiam Sæculari.

Circa irregularitatem advertendum est, posse quidem Confratrem absolvi à peccato, propter quod contraxit irregularitatem, (modo aliundè non prohibeatur) non tamen in ipsa dispensari.

Tandem notandum hic est, quod advertere debeat Confessarius, antequam absolvat pœnitentem ab aliqua excommunicatione, an ille obligatus sit tertio satisfacere: in tali quippe casu, priusquam absolvat, debet illi imponere, ut satisfaciat, si potest; quod si non possit, ut præstet idoneam cautionem, vel pignoratiam, aut si has nequeat, fidejussoriam: & si hanc quoque non valeat præstare, pignoratiam. Docent tamen Doctores, Confessarium, non imponendo hanc satisfactionem, peccare quidem, absolutionem nihilominus esse validam.

CAPUT VI.

Referuntur, & examinantur reliqua Confratrum concessa à Sede Apostolica Privilegia.

314. Permittitur Confratribus usus Altaris portatilis,



AETERA Confratrum Privilegia §. 9. ejusdem Clementis continentur. Quorum *primum* permittit omnibus, & singulis utriusque sexus Confratribus, usum Altaris portatilis, super quo coram se celebrari faciant submissa voce Missas, & alia Divina officia, per quoscunque Sacerdotes Sæculares, aut Regulares. Circa quod privilegium sanè examinandum.

Animadvertendū *primò*, non modo posse per alios, sed etiam per se ipsos celebrare, si sint Sacerdotes; quia par, imò eadem est mens Pontificis expressa. Advertendum *secundò*, videri id solum permitti tempore interdicti, seu cessationis à Divinis.

non autem quolibet alio tempore; atque ita exponitur à Lezana. Tom. 2. qq. Reg. Cap. 15. num. 37. & lib. de MARIA Patron. Cap. 12. num. 13. Vide de hoc etiam Petrum Lucium in Compendio Historic. & Thomam à IESV lib. 2. de antiquitate & Sanct. Ord. Carmeli Cap. 5. §. 1. ubi dicit, ita practicum fuisse in celeberrima Salmanticensi Academia; annuentibus Doctoribus Mancio, Sancio, Bartholomao de Medina, & Rodriguez, ejusdem Universitatis primarijs Magistris. Refert præterea ibidem, quod durante Salmanticensi quodam interdicto, Provisor Episcop. responderit nobili cuidam, petenti licentiam faciendi celebrare privatim, se id non posse; sed consuluerit, ut Confraternitati sacri Scapularis Carmeliticæ nomen daret; eo quod Confratrum ejusmodi istud esset privilegium. Simile verò Privilegium vix ulli alteri Confraternitati concessum esse, affirmat idē, V.P. Thom. à IESV.

POTEST nihilominus esse difficultas, atque ratio dubitandi de alijs temporibus in Diplomatis contextu: imò quibusdam id videtur concessum pro quolibet tempore. Cui sententiæ favet Angelus Cherubinus, Monachus Cassinensis, Tom. 1. Bullarj editi anno 1638. in Clemente VII. Constitut. 31. scribens Apostillas ad §. 9. his verbis: utendique Altari portatili, in quo celebretur, etiam tempore interdicti. Qui loquendi modus concedit pro omni tempore portatile, ac præterea per quendam excessum, etiam pro tempore interdicti. Id ipsum prorsus senserunt complures viri graves, doctique è nostris, nec non exteri Theologiæ Professores, de hoc Diplomatis Apostolici textu, literaque consulti. Quod sufficere credo ad securitatem conscientie pro tali usu, si aliunde nil obstat, absitque abusus.

Advertendum tertio, posse ante lucem, & post meridiem, sed tamen circa utramque; in eo Altari offerri Sacrificium.

Animadvertendū quarto, particulam circa, & ante esse explicandas secundum prudens iudicium: ita tamen, ut plus existimem usurpari posse ante lucem, quam post meridiem: quia religiosius id videtur fieri, cum experiamur animum post meridiem magis distractum & ad Divinum cultum, maximè sacrosanctum Sacrificium, minus idoneum. Licitam esse illam celebrationem una, aut altera hora ante auroram inferitur ex similibus Privilegijs, & jure communi, quo licet omnibus celebrare circa auroram: at Privilegium addit aliquid præter commune jus; Ergo &c. ita nost. Irenæus loc. supra cit. §. 4.

Ggg 2

Vide

tempore interdicti, & cessationis à Divinis.

imo quolibet tempore.

315.

Potest in eo celebrari ante lucē, & post meridiem, & quomodo hoc intelligendū

Vide etiam Suarez *Tom. 3. in 3. part. disp. 80. sect. 4. ante 2. Concil.* Ubi docet posse anticipari duabus horis, si una concedatur in Privilegio, eo quod de jure communi una hora anticipari possit ante eam ex rationabili causa &c. Consuli quoque poterunt circa hoc nostris Urbanus ab Ascensione *Tract. 2. Theolog. Moral. & Canonica 2. Part. distinct. 1. Cap. 2. Reg. 7.* & Gabriel à S. Vincentio *Part. 2. de Sacram. disp. 3. de circumstantijs sacrificij Missæ quest. 2.* ubi expeditum reperies, quid propriè nomine *Aurora*, & *meridies* intelligatur.

Quasnam conditiones requirat in usu hujus privilegij Pontifex?

Animadvertendum quòd, nonnullas à summo Pontifice potestas esse conditiones, à Confratribus in usu hujus Privilegij observandas: nimirum habeant *Altare portatile cum debitis reverentia & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, etiam non sacris, & quibus etiam Apostolica Auctoritate interdictis, seu tempore cessationis à Divinis, dummodo causam non dederint hujusmodi interdicto, seu cessationi, & per eos non flet, quominus pareatur Apostolico interdicto, &c. clausis januis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce &c.*

316.

Vide Suarez *Tom. 3. in 3. P. disp. 81. sect. 5. §. quarta exceptio.* Portel. in *dubijs Regul. V. Altare*, ubi plures citat alios. Hoc privilegium non videtur revocatum per Concil. Trident.

QUÆRET quispiam, Utrum illud privilegium sit revocatum in Tridentino *Seff. 12.* in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missarum, quo prohibentur omnia Altaria portatilia in domibus privatis &c.

AFFIRMANT Suarez & Navarrus apud Dianam *4. Part. resp. lut. 106.* qui iisdem opponit Joannem Præpositum *3. Part. quest. 3. art. 3. num. 151.* à quo sic exponitur Tridentinum, ut solum videri compelli posse ab Episcopis habentes ejusmodi privilegia ad abstinendū ab ijs celebrationibus. Rodericus *Tom. 1. q. 28. a. 3.* exprimit ait, non esse audiendum Navarrum de abrogatione ejusmodi privilegiorum, tandemque concludit, tuta conscientia posse eo modo celebrari, ab habentibus privilegium, quamdiu tacuerint Episcopi: sed verò si prohibuerint. Idemque repetit *quest. 43. art. 5.* data superioris Tridentini (quàm ex Præposito retulit Diana) interpretatione, constitaturque id se tueri cum viris doctissimis, quos ea de re consultavit. Monet tamen utendum prudenter privilegio, ne pollutis locis sacrificiantur mysteria. Nost. Lezana *Tom. 2. qq. Regul. cap. 15. num. 17.* & lib. de Patron. Marian. *Cap. 12. num. 13.* agens de hoc Concilii privilegio putat ordinariam celebrationem adversari Tridentinum, sed non raram ac singularem, qualis ea est pro tempore interdicti, quod rarò contingit.

SECUNDUM Privilegium describitur eodem §. 9. dictæ Clementine his verbis: *Ac quocunq; tempore Eucharistiam, & alia Sacramenta Ecclesiastica, à quocunq; maluerint Presbytero idoneo, & ubicunq; sine Rectoris Parochialis Ecclesiæ præjudicio, recipere, & administrare liberè & licitè valeant.*

Quod similiter concessum videtur solum pro tempore interdicti, seu cessationis à Divinis, ut textus indicat. Circa hoc Privilegiũ,

Quæritur *primò*, quodnam sit illud Rectoris Parochialis Ecclesiæ præjudicium? sed ad hoc patet responsio ex ijs, quæ dicta sunt *supra Cap. 2. in fine.*

Quæritur *secundò*, Quænam debeant intelligi per ea verba: *& alia Sacramenta Ecclesiastica?*

Respond. Intelligenda ea omnia Sacramenta, quæ simplex Sacerdos potest conferre: nam ubi Pontifex non distinguit, nec nos debemus distinguere. Nulla enim suadet ratio, ut à proprietate & latitudine verborum discedamus.

Quæritur *tertiò*, Utrum huic privilegio sit derogatum? *Respond.* Integre non esse abrogatum, sed tamen in aliquibus fuisse immutatum. *Primum*, Quatenus matrimonium celebrari non potest, nisi alijs adhibitis solemnitatibus, quæ tunc minimè erant necessariæ. *Secundò*, Sacerdos electus debet nunc esse approbatus, modo quo *supra Cap. 2.* diximus. *Tertiò* Quilibet Sacerdos habere non potest sacrum Oleum pro extrema unctione. *Quartò*, Sacerdos Regularis nullum præter pœnitentiam, & Eucharistiam potest administrare Sacramentum, nisi de licentia Ordinarij, vel urgente necessitate: Eucharistiã autem non potest deferre, sed celebrando in dicto portatili administrare, &c.

PRIVILEGIUM tertium claudit paragraphum nonum citatæ Clementinæ his verbis: *Et si contingat eos, vel eorum aliquem tempore interdicti hujusmodi, ab humanis decedere: corpora eorum Ecclesiastica, cum aliqua, honesta tamen, funerali pompa tradi possint sepultura.* De hoc postremo privilegio aliud non occurrit advertendũ, quàm pensandam esse defuncti dignitatẽ, ut de honestate pompæ feratur iudicium: quod enim honestum videri potest rustico pro funere, in nobili erit indecorum; non tamen adeo sollemnis & ornata esse debet, qualis adhiberetur alio tempore, quo Divinis non esset interdictũ. Hoc privilegiũ minimè fuisse revocatũ testantur supra laudati Authores Theod. Strat. & Jo. Bapt. deLezana, alijsq; nō pauci. Probat quoq; idẽ R. mus Stratius enumerata supra privilegia, nec *præscriptio*, nec *non usu* esse antiquata. CA-

317.

Quid circa Eucharistiam, aliorumve Sacramentorum usum permittatur Confratribus tempore interdicti?

318.

Quid circa sepulturã tempore interdicti?